



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,  
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 2. An possibilis satisfactio puræ creaturæ pro alieno mortali, & an gratia possit esse principium merendi alteri gratiam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

lius, ut sonant, accipi, quia auferrent distinctio- nem peccati gravis & levis, adeoque mortalis & venialis, quam tamen adstruit Tridentinum. SS. Canonizati fortè solum loquuntur, quòd peccatum illud, sit infinitum nonnisi termina- tive, & quòd fiat materialiter contra infinitam dignitatem divinam; non loquuntur autem de infinitate rigorosa, quæ oriatur à taxa ab infinita persona divina.

INSTAT 2. Veniale est re ipsa peccatum sim- pliciter, quamvis per comparisonem ad mor- tale dicatur peccatum secundum quid: Ergo etiam est verè injuria Dei, quantumvis levis.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Si autem est injuria levis, hoc ipso non taxatur in- finitate dignitatis divinæ.

INSTAT 3. Possunt hæc æquiparari inter se, mortale & veniale in ratione offensæ, quamvis gravitate differant.

RESPONDETUR. Si mortale & veniale æquiparantur in ratione offensæ, æquipa- rantur in Principali, nam in mortali hoc est principale, quod inadæquabile ulla vi crea- ti; jam autem sola ratio offensæ inadæquabilis est, nam ratio malitiæ, advertentiæ, voluntarii, possunt bonitate actus creati æquari. Si autem veniale cum mortali in ratione principali con- veniunt, hoc ipso simpliciter erunt æqualia; nam ratio talis simpliciter, cæteris paribus, à principaliori desumitur. Si autem simpliciter mortale & veniale sunt æqualia; hoc ipso ve- niale non esset leve, adeoque nec veniale.

OBJECIT 5. quidam. Puram creaturam non posse condignè satisfacere pro veniali, prout est injuria Dei personalis, est communis Theolo- gorum, teste Ragusa, ex D. Thoma 3. parte. q. 1. a. 2. ad 2. Ubi universaliter de peccato loquitur.

RESPONDETUR. Negando hanc esse com- munem Theologorum sententiam, nec enim citantur quinam sint illi. Schola Scotistica te- net etiam pro mortali à pura creatura posse fieri satis; ex nostris Lugo, Ripalda Vasquez, & re- centiores, ut Esparza, putant etiam mortale non esse infinitum; & si id non est comune de mor- tali, quomodo erit de veniali. Ex Thomistis Na- zarius negat mortali infinitudinem, quomodo ergo illam tribuit veniali. S. Thomas agit inibi de mortali, quia loquitur de peccato, quod de- struxerat genus humanum, quod certè non erat veniale. Rursus iste terminus, *Injuria personalis*, indiget explicari. Si enim hoc significat taxari veniale dignitate divinà infinita, jam est hoc su- pranegatum.

INSTAT. Satisfactio puræ creaturæ pro ve- niali, est à persona vilissima, exhibita, personæ infinitè dignæ.

RESPONDETUR. Quòd fiat illa satisfactio personæ infinitè dignæ, sed non taxanti dignita- te suā offensam levem. Quòd autem dicitur, peccatum veniale non inducere infinitam mali-

tiam ex modo specifico offendendi Deum, sed solum ex modo generico: id ipsum negatur; quia ut sic peccatum, non taxatur infinitudine personæ divinæ.

## Punctum Difficultatis 2.

*An sit possibilis satisfactio puræ creaturæ pro alieno mortali, & an gratia possit esse principium merendi alteri gratiam?*

EX dictis colligitur conclusio, & ratio, quòd pura creatura pro alieno mortali non possit satisfacere ad æqualitatem, quia non potest po- nere infinitam satisfactionem. Sed restat hoc decidendum, an id etiam ex eo titulo repugnet, quòd gratia non possit esse principium elicti- vum, & dignificativum satisfactionum, nisi in subiecto, & per ordinem ad subiectum in quo reperitur? Et quidam negativam inter alios te- net Vasquez. Pensanda erunt argumenta utri- usque partis.

### ARGUMENTA

*Partis affirmantis.*

ARGUMENTUM 1. Quia tota ratio, cur gra- tia unius sit principium merendi gratiam alteri, est; quia ipse qui meretur, indiget sibi illà gra- tiā; non est autem ratio, cur non possit purus homo, creari cum plenitudine gratiæ, imò cum visione beata, ita, ut jam non posset sibi prome- teri per sua opera aliquod gratiæ augmentum: sicut Christus Dominus, defacto, non poterat augere suis meritis gratiam suam habitua- lem; quo casu, non est ratio, cur ille non possit alteri mereri.

RESPONDERI potest, negando causalem, quod ideo non possit unus mereri alteri, quia ipse indiget illo merito, sed quia conditio gratiæ est, ne mereatur nisi habenti.

ARGUMENTUM 2. est. Gratia quamvis de- facto sit principium merendi sibi ipsi, nihilomi- nus defacto est principium condignè satisfaci- endi etiam pro aliis, scil. pro pœna aliorum tem- porali; Ergo sicut gratia habitualis, potest di- gnificare opera justī, ad satisfaciendum pro pœ- na temporali alterius, sic etiam posset dignifica- re, ad satisfaciendum pro culpa alterius.

RESPONDETUR. Paritatem multum pro- bare, quia probaret etiam, quòd defacto unus mereatur alteri gratiam, sicut defacto satisfacit pro pœna. Disparitas etiam dari potest; quia ut possit gratia esse principium satisfaciendi pro pœna temporali alterius, exigit id conditio ipsa gratiæ; quam talem esse, ostendit nobis etiam praxis Ecclesiæ. Quòd autem possit esse gratia principium merendi alteri, id nobis, nec sensus Ecclesiæ ostendit, nec ratio; deinde videtur argumentum procedere à faciliiori ad difficil- ius viā affirmativā; facilius enim est mereri, ne quis fustibus v.g. percuriatur, quàm ut evadat filius adoptivus.

3. ARGUMENTUM est. Quia in humanis unus potest mereri gratiam alteri, ergo & in presenti idem dici poterit.

RESPONDETUR. Etiam in humanis non omnia possumus mereri alteri, sed est necesse, ut ipse sibi mereatur illud. Deinde, quia cum per experientiam constet, aliqua nos mereri alteri, immerito diceretur, quod id in humanis non habeatur; jam autem nec experientia, nec revelatio, nec ratio ostendit, posse nos mereri alteri gratiam iustificantem.

#### ARGUMENTA

##### Partis Negative.

1. RATIO est ex Vaquez. Gratia adoptio- nis ex natura sua defecto solum est principium merendi gratiam ipsi operanti. Ergo nec de possibili mereri possumus alteri gratiam; si enim id illi gratiæ competeret, vim illius natura- lem Deus non impedivisset; quia si naturali- bus, vim eorum operandi, quam habent ex na- tura sua, non aufert Deus; multo minus aufe- ret vim eandem supernaturalibus.

RESPONDETUR. Non tenere consequen- tiam; quia multa de facto non sunt facta, etiam in naturalibus, quæ tamen fieri potuerunt. Quod autem de facto non mereatur gratia alteri gratiam, posset id referri in defectum prære- quisiti; quod scilicet, apta sit id præstare, si ipse merens non indigeret augmento; tunc autem causæ vim suam exerunt, si habeant omnia ad agendum requisita. Deinde dici posset, argu- mentum rectè procedere, de præsentī gratia, non de possibili.

INSTAT I. Rectè infertur, aliquod agens habere talem naturalem vim operandi, quia semper de facto ipsam, illud agens exercet, quotiescunq; operatur; & sic, quia ignis semper urit, bene infertur, esse ex natura sua usi- vus; Ergo etiam ex eo, quod gratia nunquam de facto est principium merendi alteri, nisi ipsi operanti, rectè infertur, quod gratia ex natura sua, non possit esse principium condignè meren- di alteri, nisi operanti.

RESPONDETUR. Ex eo, quod causa ita semper operetur, rectè infertur, habere illam talem vim operandi; sed si non ita operetur, præcipue casu, quo effectus ille non sit absimi- lis, nec contrarius ipsis illius naturalibus effe- ctis, non rectè inferetur, id illam causam præ- stare non posse; quia posset ille defectus agen- di, non in defectum virium, sed in defectum, vel principii, vel prærequisitorum referri: quàm multa enim, applicatio nova, activorum passi- vis, invenit, quæ antea, activa illa non facie- bant? Hinc quod & gratia non mereatur alteri gratiam, rejici posset in defectum prærequisi- ti, quia scilicet augmento illo indiget ipse habens gratiam. Deinde saltem argumentum non con- cludit, de alia possibili gratia.

INSTABIS 2. Deus, in conservatione cuius-

libet principii, fertur non in destructionem: Er- go si principium merendi etiam aliis est gratia, non permetteret gratiam, hoc effectu carere.

RESPONDETUR. Quod Deus non permit- teret gratiam hoc effectu carere, si haberet om- nia prærequisita ad merendum alteri; scilicet si merens jam non indigeret augmento. Deinde saltem non procedit argumentum, de alia possi- bili gratia.

INSTABIS 3. Si gratia potest esse principium merendi alteri gratiam, ergo poterit esse, & principium satisfaciendi pro peccato mortali.

RESPONDETUR. De hoc infra redibit ser- mo, interim disparitas est; quia non apparet, unde sit necessaria infinitudo ad merendum al- teri gratiam, quæ ex dictis est necessaria, ad con- dignam satisfactionem, pro mortali.

2. RATIO. Quia impossibilis est gratia, quæ sit dignior, hac ipsa, quam nobis promeruit Christus, vel quæ sit dignior hac gratia, quam ipse Christus habuit; quod ipsum probatur; quia debemus Christum dignificare quantum possumus: Ergo etiā debemus asserere gratiam, quam meruit, & ejus gratiam, quam habuit, esse dignissimam. Sed gratia præfens non est principium merendi aliis, & gratia, quam Chri- stus habuit, non erat principium merendi aliis; quod ipsum probatur; quia erat principium merendi nobis, tanquam membris hujus capi- tis, nec possumus participare de meritis illius, nisi inserti ipsi Christo tanquam viti, ut voluit Tridentinum sess. 6. c. 3.

RESPONDETUR. Si est impossibilis, gratia, quæ sit dignior hac ipsa, quam nobis promeruit Christus, etiam præfens gratia, deberet esse principium merendi gratiam alteri; quia hoc ipso non esset dignissima, dignior enim foret, si esset principium merendi gratiam alteri. De- inde, dignior certè esset gratia, quæ afferret et- iam bonum perseverantiæ; quæ æquivaleret unà Lumini gloriæ; quæ incompararetur etiam venialem offensam; ex quibus omnibus erui- tur, falsum esse, quod non sit possibilis gratia perfectior præfenti. Dignificare autem debe- mus, vel maxime merita Christi, si ratio non ob- sit; obest autem in præfenti negativa ratio, *Non implicat*; sufficitq; ad dignificanda merita Chri- sti, quod quæcunq; etiam perfectior gratia, non excedat vires meritivas Christi, si eas, ad illud præmium, impendere velit Christus. Quod autem gratia in Christo, est principium meren- di nobis, tanquam unitis Christo, ut capiti; cur in nobis non erit principium merendi alteri, ut fratri, ut compari, ut eidem moraliter?

INSTABIS. Non est possibilis effectus for- malis gratiæ præstantior, quàm reddere filium Dei adoptivum.

RESPONDETUR. Hoc ipsum, quod est red- dere filium Dei adoptivum, potest diversis spe- cie principii, adeoque & gratis fieri. Deinde  
est

esset præstantior effectus, si & sibi, & alteri, posset esse principium constituendi, in esse filii Dei adoptivi.

3. RATIO. Quia gratia adoptionis nihil aliud est, quam amicitia Dei ad nos, & nostra ad Deum: jam verò amicitia, non potest esse principium merendi condigne alteri amicitiam; quia de ratione illius est, solum redamationem principiare, illius, qui amat, & non alterius; quia si alter redametur, hoc ipso deficitur à ratione amicitia: quia non amantem, sed alium redamari amicitia autem non potest esse principium deficientis amicitia, seu alicujus defectus in amicitia. Deinde etiam in humanis, nemo alteri meretur amicitiam, sed id solum fit precibus, & modo impetratorio, quod etiam in præfenti, concedi potest.

RESPONDETUR. Posse concedi, quòd si meretur alteri quispiam gratiam, esset illud ipsum, novus titulus redamandi illum; adeoque non esset amicitia, sine redamatione: deinde, hoc ipso, quia alius redamaretur intuitu meriti, ipse ille merens, saltem indirectè redamaretur; imò attendendo ad illud: *Propter quod unumquodque, tale, & ipsum magis*, eo ipso diceretur, magis tunc amari merens. Nec ita certum est, quòd etiam in humanis alter non possit alteri mereri amicitiam; & si potest haberi tale pactum, si hoc feceris, & te amabo, & illum alterum, evadetque ille alter amicus ex pacto; cur etiam non poterit evadere, amicus ex merito?

INSTABIS. Quamvis aqua possit elevati ad producendam gratiam, non potest elevari ad merendum alteri gratiam: Ergo idem dicendum in præfenti.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia casus antecedentis implicat: ad meritum enim requiritur, ut in principio illo completo activo, involvatur agens ex præcognitione & dominio agendi, quod non convenit aquæ; conveniret autem, si creatura rationalis, alteri mereretur gratiam.

Addenda adhuc sunt aliqua, quorum meminit Ripalda disp. 96.

4. RATIO. Ex autoritate Adriani Papæ & Concilii Francofordensis.

RESPONDETUR. Illas autoritates, hoc solum velle, quòd Christus non sit filius adoptivus: & quòd, si esset, redimere nos non potuisset condigna satisfactione.

INSTABIS. Vasquez. Dignitas gratia ad gloriam, est adoptionis dignitas, quæ non communicatur, nisi in genere causæ formalis, subjecto, cui gratia inhaeret.

RESPONDETUR. Quæri adhuc, cur gratia unius, non possit mereri alteri, ut in illo inhaereat gratia?

INSTABIS 2. Semen non fructificat nisi in terra, in qua semini est, ita nec gratia, nisi in subiecto, in quo est.

RESPONDETUR. Semen multiplicat se phy-

sicè, nec habet vim, quâ possit se projicere ad alium locum; meritum autem multiplicat se moraliter, nec repugnat ut habeat vim, ut ad illius exigentiam, Deus, in alio subiecto, producat gratiam.

INSTABIS 3. Ex eo quòd homo mereatur sibi gratiam, non potest inferri, quòd mereatur alteri; quia quando meretur sibi, meretur digno, si meretur alteri, non meretur digno.

RESPONDETUR. Homo constitutus in peccato mortali, actu amoris meretur sibi gratiam, non digno, sed ut evadat dignus; cur etiam non poterit mereri alteri, ut evadat dignus.

5. RATIO. Opus filii Dei adoptivi, non potest non mereri gratiam & gloriam, determinatè sibi conferendam, juxta valorem operis. Tum quia valor hic constituitur ex gratia habituali, consequenter dignificat eum, ad quem ordine intrinseco refertur. Tum quia complacentia Dei in persona grata, quâ mediâ, confert gratia ad remunerationem operis, solum movet ad gloriam conferendam; ipsi personæ gratæ. Tum quia gratia non habet ex se ordinem, nisi ad propriam gloriam. Tum quia per opera bona, crescit justus in filiatione adoptiva, filiationem autem adoptiva, solum dat jus, ad hæreditatem paternam. Tum quia gratia, est participatio naturæ divinæ, quatenus subiectum, in quo est, reddit aptum ad operationem divinam: Ergo cum gratia, non faciat aliud subiectum extraneum, particeps divinæ operationis, non potest mereri alteri gratiam. Tum quia est aliquod genus præmii, quòd ita determinatè conferendum est merenti, quin alteri præter merentem, conferri possit, scil. laus; Ergo etiam nec mereri potest beatitudinis gloriam, nisi ipsi merenti. Quod si opus filii Dei adoptivi non potest non mereri sibi determinatam gratiam & gloriam, hoc ipso non potest mereri conferendam aliis; nam valor operis meritorii est limitatus: Ergo si valor ut duo, non potest non determinatè mereri gratiam & gloriam ut duo, ipsi merenti, non poterit hoc ipso mereri alteri.

RESPONDETUR. Quod attinet ad istam ultimam conclusivam consequentiam, ostendenda esset implicantia, cur non posset esse divisio, ut sibi quis mereatur ut unum, & alteri ut unum, & tamen duos gradus gloriæ & gratiæ. Sed quia procedit vis consequentiæ ab antecedenti, negatur illud, verumque est, non nisi de præfenti ordine; concedo enim valorem hunc desumi pro præfenti ordine, à gratia habituali; sed nego implicare gratiam, quæ aliam gratiam alteri mereatur, quæ dignificet opera illius alius, ab illo alio ponenda. Nego item, quòd implicet ut unius gratia, sit principium merendi, ut alter evadat persona grata. Nego implicare, ut gratia habeat ordinem ad gloriam alienam, scil. merendo alteri, gratiæ infusionem. Nego implicare, ne justus alteri possit mereri, etiam filia-

filiationem adoptivam. Nego implicare, ne possit mereri alteri quis, ut habeat participationem divinæ naturæ. De laude aliud est; quia laus nihil aliud est, nisi appretiatio, titulo, ly: Bene egit: & quia, alter ab agente, non habet prædicatum: Bene egit, ideo nec laudem; jam autem potest habere aliquis collationem doni, sine prædicato: Egit, ut dum merentur Patres filiis; potestque in hoc genere, etiam dici, esse unitas quædam moralis, illius aliis, cum merente.

### FORMANTUR

*Asserenda.*

ASSERO 1. *Gratia, quæ nunc de facto habetur, probabile est, quod non sit principium merendi aliis gratiam de condigno.*

RATIO 1. asserti est; quia possibilis est gratia, quæ non sit principium merendi aliis, ut mox dicetur; Ergo probabilius est provisionem esse à Deo gratiam talem, quæ non esset principium merendi aliis; quia connaturalius est dari talem gratiam, quæ effectus suos præstare possit saltem aliquando: Ergo cum ex consensu Doctorum, non præster hunc effectum gratia, cum eam nobis meritis sit non nisi Christus, intercessitque decretum, ne id contingat; tali decreto, conformior & aptior erit gratia, quæ id præstare non possit.

RATIO 2. quia sicut dantur accidentia, quæ non possunt operari in subiectum extraneum, & alia quæ possunt; & ita calor agere potest in subiectum extraneum, gravitas autem non potest se multiplicare, in alio subiecto: sic etiam poterit dari gratia, quæ sit principium merendi, non nisi soli habenti, & quæ sit principium merendi etiam extra habentem; Ergo cum nullum signum habeas, præsentem gratiam esse, principium merendi aliis, sine fundamento dices, præsentem gratiam, esse principium merendi aliis.

RATIO 3. Quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate: Ergo nec virtutes operandi; nullum autem signum, præsentem gratiam ostendit, esse principium merendi aliis, nullaque huius necessitas.

ASSERO 2. *Possibilem esse gratiam, quæ sit principium merendi condignè aliis gratiam.*

RATIO 1. quia id non implicat.

RATIO 2. quia gratia, quam Christus habuit, vel est eadem specie cum nostrate, vel diversa specie. Si est eadem specie, ergo non implicat gratia, quæ sit principium merendi aliis gratiam condignè: hoc enim jam evenit in Christo. Si autem est diversa specie, habetur intentum, quod scilicet sit possibilis gratia, quæ est principium merendi aliis. Neque valet si dicas, Christum esse principium merendi aliis, tanquam membrum, cur enim non poterit esse etiam gratia principium merendi alteri, qui sit unum unitate fraternitatis in Domino?

RESPONDEBIS. Gratiam quando reperitur

in circumstantia hypostaticæ unionis, esse principium merendi alteri, non extra hanc circumstantiam.

CONTRA. Tum quia non implicat contradictionem, ut etiam extra circumstantiam. Hypostaticæ unionis, sit gratia principium merendi alteri. Tum quia, si id est gratia simpliciter impossibile, non poterit etiam circumstantia unionis hypostaticæ, quæ entitatem illius gratiæ non mutat, possibile reddi. Tum quia præcisa circumstantia unionis hypostaticæ, non vim merendi gratiæ, sed non nisi dignitatem meritis confert, nec apparet, qui vim illam merendi tribuere possit gratiæ, si illam de se non habet.

RATIO 3. Vel potest Deus rationabiliter velle, saltem pro alio rerum ordine, ut pura creatura mereatur alteri de condigno gratiam, vel non potest? Si potest: Ergo etiam talem gratiam potest dare, aliis posset id velle Deus, ad quod præstandum non posset exhibere medium. Si non potest: da huius implicantiam.

CONFIRMATUR. Poterat VERBUM incarnari, & ita satisfacere pro peccatis nostris, ut tantum esset suppletio illius dishonorationis divinæ, quam traxit peccatum, ita tamen, ut illa suppletio non cederet in bonum nostrum, & in liberationem; quo casu, non potuissimus rationabiliter dicere: Non potuit Christus offerre sua merita, ut cederent in bonum nostrum; aliis rationabiliter diceremus, id non potuisse fieri, quod de facto fieri potuit, & pro præsentem rerum ordine factum est: Ergo etiam non possumus rationabiliter dicere, quod Deus pro alio rerum ordine, non potuerit acceptare merita creaturarum, ad merendam aliis creaturis gratiam, quantumvis de facto illa non acceptaret; pro utraque enim parte militabit, ly Non implicat.

ASSERO 3. *Possè à Deo constitui puram creaturam, quæ sit caput reliquarum in ordine ad merendum.*

RATIO. Quia id non implicat; & si potuit Adam constitui caput in ordine ad demerendum, cur non posset constitui caput in ordine ad merendum?

### Punctum Difficultatis 3.

*An saltem per modum meriti possit creatura abolere mortale condignè?*

DICENDUM est. Quod etiam per modum meriti, non possit creatura abolere mortale condignè. Est contra Ripalda disp. 96. Ut intelligatur conclusio.

Supponendum est, condistingui satisfactionem pro mortali condignam, à condigno merito, ut remittatur mortale; nam satisfactio condigna importat, ne satisfaciens in ratione satisfaciens, sit inæqualis offenso; adeoque satisfactio condigna importat æqualitatem satisfactionis cum offensa; meritum autem de condigno hanc æqualitatem non importat, sed radicalem

exigen-